

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 10. De Commemorationibus specialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](#)

Officij Divini bene recitandi.

31

bis exclusivè, quo tempore eorum loco dicitur Antiphona
Hec dies.

II. Tam Versiculi, quām Antiphonæ sumuntur diebus
Dominicis, Ferijs, & Vigilijs simplicibus ex Psalterio; in Fe-
stis verò ex Communi Sanctorum, nisi propriæ in Officio de
Tempore, aut proprio Sanctorum assignentur.

III. Antiphona post Canticum integra repetitur, addi-
to Alleluja (quod etiam Versibus additur) tempore Paschali.
Ante Canticum integra dicitur in Duplicibus, reliquo tem-
pore inchoatur tantum.

§. VII.

De Canto Benedictus.

I. Semper dicitur, & clauditur per Gloria Patri, excepto
Officio Defunctorum, ubi Versus Requiem substituitur,
& triduo S. Hebdomadæ, ubi omittitur.

§. VIII.

De Precibus Ferialibus.

I. Dicuntur hæ tantum in Ferijs Adventūs, Quadragesi-
mæ, Quatuor Temporum, & Vigilijs, quæ jejunan-
tur, exceptis Vigilia, & Quatuor Temporibus Pentecostes,
& Vigilia Nativitatis Christi, ac Paschatis.

§. IX.

De Oratione.

I. Post Antiphonam, quæ Canto Benedictus subjungi-
tur, aut preces (si dicuntur) absolutas dicitur Domi-
nus vobiscum, aut (si is, qui Officium recitat, neccum sit
Diaconus) Domine exaudi orationem meam, & præmisso O-
remus subjungitur Oratio conveniens Officio, quæ semper
clauditur eo modo, qui in ipsa oratione annotatur.

§. X.

De Commemorationibus specialibus.

I. Commemorationes speciales dicuntur ex Orationes,
quæ ratione Festi occurrentis dicendæ sunt, de quibus
tria potissimum notanda occurunt, videlicet Tempus, Or-
do, Modus.

Tent.

Tempus quod attinet, sequentes tres Regulæ servire possunt. Prima. In Festis Duplicibus primæ Classis nulla fit Commemoratio, nisi Octavarum privilegiatarum (puta Nativitatis, Epiphaniæ, Corporis Christi) diei Octavæ cujuscunque, Dominicæ, Feriæ Majoris, & Vigiliae Epiphaniæ. Secunda. In Festis Duplicibus secundæ Classis præter Commemorations, quæ fiunt in Duplicibus primæ Classis, fit etiam Commemoratio Festi Simplicis, (saltem in Laudibus) & Vigiliae, non autem diei infra Octavam, quia de Octava sœpius fit Officium, non autem de Simplici; hoc enim nunquam transfertur. Tertia. In Duplicibus alijs, & Semiduplicibus fit Commemoratio cujuscunque Feriæ privilegiatae, Vigiliae, diei infra Octavam, & Simplicis Festi.

II. Ordo Commemorationum in duabus consistit Regulariis. Prima est, ut semper præcedat Duplex, Dominica, Semiduplex, Dies infra Octavam, Feria Major, Vigilia, B. MARIA in Sabbato, Simplex.

Secunda, ut inter Festa ciudem gradus dignius præferatur minus digne. Constituitur autem Ordo dignitatis hoc ferè modo, ut primo loco ponantur Festa Christi Domini, tum B. Virginis Angelorum, S. Joannis Bapt. Apostolorum, Martyrum, Confessorum Pontificum, Confessorum non Pontificum, Virginum Martyrum, Virginum non Martyrum, non Virginum.

De Patrono quoque Loci regulariter ante Titularem fieri Commemorationem convenit, quod idem etiam de Patrono Principali Ordinis sentiendum. In Ecclesia omnium Sanctorum nomine dicata fieri debet Commemoratio de Apostolis ante Commemorationem de Omnibus Sanctis, uti fit in Officio parvo B. Virginis. Neque inconveniens est, de eodem bis fieri mentionem, semel aperte, semel latenter; sic enim de facto contingit infra Octavam Omnium Sanctorum, in qua fiunt Commemorations de varijs Sanctis occurrentibus, licet in Oratione principalis de iisdem jam implicitè facta sit mentio. Si Ecclesia sit B. Virgini dicata, sufficit Commemoratio communis *Concede &c.* neque alia facienda est, teste Gavanto c. 18. n. 11. In Officio Vigiliae Patroni vel Titularis omittitur eorum Commemoratio.

Ex quibus obiter colligitur, minus congruè à Gavanto

scilicet. 5.

sed. 5. t. 18. n. 7. in Ordine dignitatis Sanctos Veteri Testamenti post Apostolos statim collocari , cùm nullum hujus Prælationis fundamentum ex Rubricis habeatur , atque adeò merito idem inter hos & Sanctos Novi Testamenti Ordo constituatur , qui inter alios Sanctos Novi Testamenti solet observari .

III. Modus Commemorationum requirit , ut primò recitetur Antiphona , & Versiculi ex Laudibus in Proprio Sanctorum , aut de Tempore , aut in Communi positis . Si autem hi Versiculi cum Antiphona jam dicti sunt propter simile Festum occurrens , tum pro Commemoratione sumenda est Antiphona cum Versiculis ex primis Vesperis ; quòd si & hi jam dicti sint , tum Antiphona quidem sumenda est ex secundis Vesperis , Versiculi autem ex primo Nocturno , nisi & hi similes sint illis , qui jam priùs sunt dicti , tum enim ex secundo Nocturno sumendi erunt . Si verò , uti contingere potest , & quarta similis Commemoratio facienda est , tum pro Antiphona quidem sumenda est ea , quæ prima in primo Nocturno ponitur , pro Versu verò is , qui in Nocturnis positus , & necdum pro Commemoratione dictus est , uti Gavantus l. 3. c. 11. n. 30. & Arnaudus p. 1. tit. 9. n. 27. volunt . Antiphonæ ad *Benedictus* de communi Confessorum Pontificum , & non Pontificum sunt diversæ saltem in fine , atque adeò utraque pro eodem Officio servire poterit . Tam Versiculis his , quām Antiphonæ tempore Paschali additur Alleluja . Secundò , ut oratio recitetur vel ex Proprio Sanctorum , vel de Tempore , vel de Communi Sanctorum . Inchoatur semper ab *Oremus* , non autem clauditur per clausulam ordinariam , nisi sit ultima .

§. XI.

De Suffragijs Communibus .

I. **D**icuntur hæc Suffragia communia , quia plurimis diebus fieri solent , nimirum quandocunque non est Duplex , aut dies infra Octavam , aut dies intra Adventum , aut intra Dominicam Passionis , & SS. TRINITATIS occurrens . Omituntur etiam , quando dies Octava cadit in Dominicam privilegiatam : licet de Octava eo casu tantum fiat Commemoratio . Gavant . *sed. 3. c. 8. n. 13.*

Instruct. II.

C

II. Or-